



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De conuersione Gerlaci sacerdotis, cap. 24.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

alijs ecclesiasticis stipendijs honoratus vel oneratus, tempore quodam infirmatus est: spe igitur recuperandæ sanitatis, accepta secum pecunia, Coloniam descendere nauigio proposuit, vt & phycos, quorum illic copia est, consuleret, & ex ipsa aëris mutatione aliquod remedium perciperet. Veniensque contra monasterium nostrum, loci nomen requisit & agnouit, dicensque se velle hospitari in monasterio, pueros suos ad Abbatem pro equis, quibus ascenderet, præmisit, & accepit. Eadem nocte nescio quid viderit, vel quo instinctu conuersus fuerit, manè familiam suam sistentem cum naue remisit, & habitum regulariter induens nobiscum permansit.

CAPVT XXIIII.

FRATER Gerlacus sacerdos & monachus noster, propter signa vnius deuotionis, quam in quodam monacho nostro vidit, sicut mihi cōfessus est, primum conuersionis amorem concepit. Die quadam cum monachus ille, quem bene nosti, missam in eius parœcia celebraret, tantam secundum consuetudinem habebat gratiam lacrymarum, vt Gerlacus, qui propter ministerium ex latere stabat, eandem considerans gratiam, admirans Dominum glorificaret. Ex illa hora ita cœpit ordinem diligere, vt nō quiesceret, donec vnus ex ordinis personis fieret. Multa tibi adhuc possem dicere de his, qui exemplo aliorum conuersi sunt, sed breuitati studendum est. **APOLLONIVS:** Ex his que iam audiui, certum est alios conuerti per sermonem exhortationis, alios per virtutem orationis, nonnullos solo exemplo religionis. **CÆSARIUS:** Dictum est superius, adhuc alias esse causas multiplices, quæ multis occasiones sunt conuersionis, scilicet infirmitatem, paupertatem, captiuitatem, notam alicuius infamiæ, periculum præsentis vitæ, timorem siue visionem gehennalis pœnæ, solum desiderium cœlestis patriæ. **APOLLONIVS:** De his precor vt exempla subiungas. **CÆSARIUS:** Quod quosdam compellat infirmitas conuerti, quotidie videmus.